BIBLIA. ISIDORUS HISPALENSIS. EUCHERIUS LUGDUNENSIS
Admont, 12. Jh. Seite 38v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hic me tradet. filio quidem hominis uadit sicut scriptum est de illo.
Ve autem homini illi. per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si non
natus fuisset homo ille. Respondens autem iudas qui tradidit eum
dixit. Numquid ego sum rabbi. Ait illi. Tu dixisti. Cenantibus autem eis. accepit ihesus panem et benedixit ac fregit.
deditque discipulis suis. Accipite et comedite. hoc est
corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti. qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem uobis. Non bibam amodo de hoc genimine uitis. usque
in diem illum cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris
mei. Et ymno dicto. exierunt in montem oliueti.
XXVII. Tunc dicit illis ihesus. Omnes uos scandalum patiemini
in me in ista nocte. Scriptum est enim. Percutiam pastorem. et dispergentur oues greg[is]. Postquam autem resurrexero. precedam uos in galileam. Respondens autem petrus dixit illi. Et
si omnes scandalizati fuerint in te. ego numquam scandalizabor. Ait illi ihesus. Amen dico tibi. quia in hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis. Ait illi petrus. Etiam
si oportuerit me mori tecum. non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. Tunc uenit ihesus cum illis in uillam quam dicitur gethsemani. Et dixit discipulis suis. Sedete hic donec uadam illuc et orem. Et assumpto petro et
duobus filiis zebedei. cepit contristari et mestus esse. Tunc
ait illis. Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic. et uigilate mecum. Et progressus pusillum. cecidit
in faciem suam orans. et dicens. Mi pater si possibile est transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego uolo. sed sicut tu.
Et uenit ad discipulos. et inuenit eos dormientes. et dicit
petro. Sic non potuistis una hora uigilare mecum. Vigilate et orate. ut non intretis in temptationem. Spiritus quidem promptus est. caro autem infirma. Iterum secundo abiit. et orauit dicens.
Pater mi. si non potest hic calix transire nisi bibam illum. fiat uoluntas tua. Et uenit iterum. et inuenit eos dormi